



AD AUTOREM PER ANAGRAMMA,

*HEINRICUS HARTMANUS Rhesatensis, Cantorem jam Coburgi agens;
Manè ubi gemens coarctor, CHRISTUS surgens mihi in arena astat.*

Non homo, non brutum, sed truncus verius esset,
Quem traxisse nequit Musica dulcisonans.
Nescius est infans sibi vates ipse malorum,
Dum sua vix natus fletibus ora rigat;

Sed tamen à fletu trahitur dulcedine cantus,
Matris in amplexu dulce levamen habens;

Exultat Delphin cithara resonante, sonoque
Permalcet Cervum fistula Cornigerum;

Quin animantur Equi in bello clangore tubarum,
Sub caelo & volitant ac modulantur Aves;

Inq; suum & Reges pertraxit Musica amorem,
Quin etiam Angelico Musica grata choro;

Ipsius hinc usum, presso vel sole relecto;
Lex Nova cum Veteri non sine fruge petit.

Cur ita, ni divina foret res Musica, fontem
Monstrans, vis ejus ni quoq; tanta foret?

Hac mediante fugit cum Dæmone plangor, & angor,
Ut patet Exemplis, & sacra scripta docent.

Hac animo volvens Autor, non Dæmonis astu.
Nec lingua Osoris territus, edit opus;

Quo probat ardorem, quo sese hominiq; Deoque
Hoc anagramma suum saepe sonando; probat;

Heu **UBI MANE GEMENS** tristi sub nube **COARCTOR**,
Et Satan ipse furit, livida turba fremit;

ECCe **MIHI SURGENS IN HARENA CHRISTUS JESUS**
ASTAT. Abi ergo Satan, livida turba Vale.

*GEORGIUS PFRUSCHERUS, verbi
Minister apud Grubenses.*